148.

de Ao 1613.

D. Davidi Pareo suo S. P.

Reverende et Clarißime Vir. Cum scriptum mihi, quod huic adjicio, ab insigni aliquo Theologo super controversiis belgicis inter Arminianos et veteres Reformatos, communicatum esset, quod mihi satis perspicuè statum earum tradere videtur, authorque judicium suum superiis valdè moderatum interponat, et mihi interea ex Belgio nunciatum sit, easdem non minui, sed recrudescere adeò esse: nolui omittere, quin idem illud scriptum ad te remitterem, judiciumque tuum super eodem, cum vacabit, peterem. Quaeso ne in malam partem hanc meam interpellationem accipias. Vale. 10. Maij 1613.

R. T.

omni studio addictissimus
Petrus Brederodius. Illustriss.
ordd. Confoederat. Belg.
Legatus.

149.

Amplissimo viro D. Petro
Brederodio Ill. Ordd. Belgii Legato
Salutem à Domino Jesu.

Scriptum de controversiis Belgicis, Legate Amplissime, fautor honorande, legi, relegi. judicium meum requiris: Arduum est, et supra ingenium meum, quod postulas, licet nihil non tibi debeam. Non legi partium libellos polemicos, nec legere potui, belgico idiomate plerosque scriptos, nec me siverunt aut sinunt graviores occupationes meae: immò ne volui quidem, ne turbarem studia mea. Potius cavendum duxi et duco, ne qua occasione haec certamina nostris Ecclesiis et Scholis attraherentur. Itaque me illis non libenter immiscео. Quid de praedestinatione, de gratia, de perseverantia sanctorum disputent Jesuitae, à quibus Arminiani quaedam mutuantur, quaedam diversa habent,

quid contra sentiendum sit, sentiantque et respondeant
nostra Ecclesia, perspicuè, solidè, nisi fallor, ex libris
Bellarmini explicatis et castigatis, quorum editionem
ad futuras, si Dominus volet, nundinas nunc paro, do-
cebitur. Tantisper igitur quaeso me excusatum
habeas. Interim saltem hoc accipe, praeter quatuor, quas
mediator dicit primarias controversias videri, mi-
hi agitari alias complures nihilo leviores, de pecca-
to originis, de fide, de justificatione, de conver-
sione hominis &c: An status quaestionum tetige-
rit, dubito. Si meam de morte Christi explicatio-
nem sequerentur Arminiani, sperarem nullam
cum aliis habituros controversiam: quidam
nostra ad se argute trahunt, sed praeter men-
tem nostram. Gratia resistibilis, quam excogi-
tavit Arminius, ut efficacia gratiae maneat pe-
nes hominem, ab ipso Bellarmino refellitur. Sic
Gratia resistibilis qualis. — autem censeo, ex parte hominis non-renati gra-
tiam esse nimis resistibilem: quia homo animalis
non modò non potest resistere, sed etiam nihil
potest nisi resistere gratiae Dei. Ex parte verò
Dei efficaciter moventis, trahentis suos per verbum
Gratia quomodo irresistibilis. — et Spiritum, gratiam rectè dici irresistibilem: adeò
ut dicere sic esse resistibilem, sit negare esse effica-
cem, imò sit blasphemare, quòd Deus cum sua gratia ef-
ficace homuncionis resistentiae subjaceat. In statu igitur
gratiae an gratia efficax ita agat in homine, ut ei
nequeat resistere: dolus est, prout ei non velit resi-
stere. Porrò doctrinae genus, in quo mediator
articulatim partes conciliat, ita videtur
generale, amphibolum, adiaphorum, ut nullus Pontifi-
cius non facilè subscribere, nullus Pelagianus,

Sanciofatentimus hodiernus, præter tres fortè de gratia articulos, non libenter recipere possit. Quid vero fiet plurimis scriptaris, quæ de prædestinatione, gratia, perseverantia sanctorum longè strictiùs loquuntur? quid consolatione piorum exinde pendente? Disputationes verò Scholarum quorsum ibunt? Quomodo cum Ecclesiis, cum pace stabunt? Cautio de non invehendis ulterioribus absurdis, est torrens de monte ruens. Consilium itaque de partium concordia speciosum, insidiosum, quo Orthodoxam veritatem ab indifferentia, ne plus dicam, obscurari, vel opprimi necesse erit. Quid verò Belgium respondebit Deo, si quam bello eis paravit servavit, ipsi pace oppresserint? unum non displicet, quod causam Dei sibi à sua separat. Quid enim Vertumnus ille abominis XIV in capite gerat, molitur, fatis mundo prædicit, licet in varias sese formas doctus sit. Cum igitur hominem, dum alienum à se fecerint, de tranquillitate Belgicæ Ecclesiæ restituenda, controversiis componendis, bene sperare non desinam. Deum toto pectore invoco, ut illustrissimos Belgii Ordines spiritu prudentiæ, constantiæ gubernet: Ecclesiarum, scholarum Doctores verbo Gratiæ dirigat, ut veritatem et pacem diligant omnes: Cujus te cum tuis, vir amplissime, protectioni supplex commendo. Vale et salve. 26. Maij 1613.

D. Davidi Pareo 150.

Salutem

Magnum dolorem cepi, vir clarissime, Domine et frater honorande, ex Albingi nostri literis quas quartus mihi reddidit, quibus inter cœtera significat se intellexisse, nihil prorsus à multis jam mensibus literarum te à me accepisse. Quod eò iniquiùs tuli, quò tutiùs meo olim auditori, istuc iter habenti, quam tabellario